1440. in Junio

Ex MS. Arch. Stan. Aug. Regis Collect. Dogiel





Nos Swidrigallus Dei Gratia Supremus magnus Dux Lithuaniae, Significamus tenore presentium, quibus expedit universis: Quia promisimus, et presentibus promittimus et spondemus bona Nostra fide et honore esse Fideles Serenissimo Principi et Domino, Domino Wladislao Dei gratia Regi Poloniae, ac electo Regni Hungariae, ac ipsius Germano Domino Casimiro, nec non ab omnibus et singulis Commissariis Regni totius Poloniae, et Russiae, et nunquam esse contra ipsos vi, verbo, facto, et potentia, sed ipsos semper justa, vera consilia et subsidia dare et ministrare secundum nostrum posse, et nihil absque consilio Serenitatis sua, et suorum Consiliariorum facere, sed sincera mente, et animo, circa ipsius Serenitatem Regalem et suorum Consiliariorum stare, ac Ipsorum consiliis uti, et frui, et illud promittimus, bona Nostra Fide, et honore Fideliter tenere, recte et firme, nullam astutiam et fraudem, dolum deceptionem, aut aliquam rem mundi interponendo quae complere promittimus, bona Nostra Fide et honore, ut promissum est, Harum quibus, Actum in Hlumacz Feria secunda post Octavas Corporis Christi, Anno M.–

Ta kopia iest przepisana z kopii legalizowaney w te słowa

Presentem Copiam cum suo Originali concordavi fide publica Attestor Varsaviae d. 12 Januarii A. D. 1766 Ignatius Ludovicus Nowicki Metrices Regni Praefectus.

Zaświadczam. Adam Naruszewicz. B. K. S.

Varsaviae 1781 d. 14 Julii. Pisarz W. W. X. L. ...

Litvanica.